Dubourdieu (S.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE SPASMODICO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAUMAREZ DUBOURDIEU,
HIBERNUS,

Societ. Reg. Phys. Edin. Soc. Honor.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M, DCC, XCIII.

Viro praehonorabili

GEORGIO FORBES,

COMITI DE GRANARD,

&c. &c. &c.

Æque

Patriae amore,

In ſenatu virtute,

Ac genere illuſtri,

Spectando,

Haſce ſtudiorum primitias,

Parvum grati animi teſtimonium,

Ea qua par eſt obſervantia,

D. D. Cque

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE SPASMODICO.

Auct. SAUMAREZ DUBOURDIEU.

"RESPIRATIO eſt functio quae jure vitalis habetur; quoniam in homine et animalibus, quae ſimilem corporis ſtructuram habent, ad vitam adeo neceſſaria eſt, ut ne quidem, per breviſſimum temporis ſpatium, ſine maximo incommodo, aut inſtante periculo, ſuſpendi poſſit." Haec functio tamen multis morbis obnoxia eſt; et ſi conſideremus pulmonem mollem atque teneram perpetuo moveri, et tam magnam ſanguinis mo-

lem tranſmittere; praeterea, aëri patticuliſque ibi fluitantibus ſemper objici, et denique tam arcte cum caeteris corporis functionibus adnecti, non mirum erit eam ſaepe laborare. De omnibus vero dyſpnoeae ſpeciebus, in hac brevi diſſertatione, haud in animo eſt differere; ſed aſthma ſpaſmodicum ſolum leviter tractare, quod, ſive frequentiam aut moleſtiam gravem, ſpectemus, medicorum attentionem optimo jure meretur, et ab omnibus aliis hujus viſceris morbis facile diſtinguetur, a definitione quae a claro Culleno verbis ſequentibus nobis traditur.

Spirandi difficultas, per intervalla ſubiens, cum anguſtiae in pectore ſenſu, et reſpiratione cum ſibilo ſtrepente; tuſſis ſub initio paroxyſmi difficilis, vel nulla, verſus finem libera cum ſputo muci ſaepe copioſo.

HIS.

HISTORIA.

In insulis hisce nostrisque plagis forsitan magis quam alibi haec affectio frequens est; saepe haereditaria, interdum vero eos quorum parentes nunquam morbi impetum passi sunt aggreditur; raro impuberes, nisi quibus gravis est congenita proclivitas, adoritur; utrumque sexum, saepius autem virilem, omniaque temperamenta, sed, testante Hoffman, prae caeteris, sanguineum corripit.

Noctu plerumque, horam duodecimam inter et secundam matutinam, aliquando vero interdiu, paroxysmus ingruit.

Morbo ineunte subito corripit, nullis quibus accessio praevideri potest signis editis, morbi vero inveterascentis, et impetus saepius redintegrantis, recursum pronunciant molestiae circa praecordia sensus. Inflatio ventriculi ructusque crebri,

crebri, praeſertim aſſumptis frugibus; languor; laſſitudo; capitis gravitas, mens hebetior; tuſſicula, vel ad hanc molimina; vox plus minus rauca; praecordia quaſi pondere oppreſſa, cum anguſtiae in pectore ſenſu; reſpiratio aliquantulum impeditur; manus, crura, ac pedes frigeſcunt, nec niſi decedente acceſſione calorem ſolitum recuperant.

Hiſce ſignis progreſſis, morbus veſperem verſus, vel ſi ſomnus obrepſerit, poſt mediam noctem, omnes ſuas vires colligit; ſpirandi difficultas adeo vehemens fit, ut anhelus niſi corpore erecto ſpiritum trahere non poſſit, et feneſtrae aſſidens auram frigidam ore et naribus patulis captare cogatur; guttur ſentitur arctum, eique omne ligamentum, utcunque laxum, intolerandum eſt; thoraci leviſſima veſtimenta oneri ſunt, et exutis, nihil levaminis ſentitur; et talis rigiditas in pectore ſubit, ut coſtae obſtinate quaſi moveri recuſent. Illae quidem, ut et humeri, gravi moleſta-

que

que niſu eriguntur; ſed cavum thoracis multo minus quam ex ſana reſpiratione ampliatur. Aer, ita hauſtus, per laryngem tranſiens ſonum quendam bene notum edit, et invicem cum ſumma difficultate et ſono proprio efflatur, ita ut aeger nec tuſſire nec ſternuere aut vix eloqui poteſt; ſi vero tuſſire moliatur, quod interdum valet, tuſſis ſtridula ac rauca auditur, et poſt conatus triſtes ſaepius iteratos nihil ſputi exſcreatur.

Jam ſumma anxietas angit, cor palpitat, pulſus celer, debilis, et inaequalis evadit; vel, ingruente ſyncope, omnino ceſſat; prominuli ſunt oculi, et lachrymae inſciente aegro profundunt. Facies interdum livida, ſed ſaepius pallida, et cum morbus eo proceſſerit ut acceſſus perquam vehemens ſit, ſignis jam recenſitis magna accedit debilitas, animi defectus ſupervenit, et aeger miſerandus in ipſo mortis articulo verſari videtur; raro vero mors accidit; poſt enim quam morbus per paucas horas

horas perſtiterit, omnia ſigna remittunt, aeger facilius ſpirat ac tuſſit, ſimulque mucum tuſſiendo expuit, quo uberior ſpiſſiorque, eo citius certiuſque remittit paroxyſmus, agerque delaſſatus in placido ſomno quieſcit quiete refectus; die proximo, mediocriter ſe habet; ſed raro ſpirandi difficultate omnino caret, et, veſpere redeunte, languor, anguſtiae in pectore ſenſus et flatus, morbum reverſurum pronunciant, qui ſimilem curſum priori decurrit.

Urgente paroxyſmo, urina limpida et ſolito uberior eſt; poſt vero remiſſionem uſitata quantitate excernitur, ſed fere ſubrubra eſt, et ſedimentum deponit.

Initio, aſthma raro impetum intra annum redintegrat; ſed, morbo inveteraſcente, intervallis adeo parvis interjectis regreditur, ut ab eo anhelus vix unquam vacuus eſt, et excretio muci copioſior evadit, et, morbo ſaepius iterato, infirmabitur,

mabitur, et, vel debilitate et marcore confectus, ſupremum diem claudit; vel aliis, pro aegri habitu, morbis, huic ſupervenientibus, quales hydrothorax, phthiſis pulmonalis, haemoptyſis, anaſarca, aſcites, &c. e medio aufertur.

Cadaverum inciſiones, maxima induſtria factae, nihil nos de cauſa aut natura morbi docent; forſitan quia in genere nervoſo lateant; quod magis veriſimile videtur, cum, teſtante claro Culleno, cum affectionibus mobilitate pendentibus, quales hyſteria, hypochondriaſis, dyſpepſia, et podagra atonica, ſaepe adnectitur.

DIAGNOSIS.

Tot jam in hiſtoria prolatis, quomodo haec affectio, ab aliis non multum a ſe diſcrepare apparentibus, diſcernatur, proximum eſt tractare.

Morbi,

Morbi, quibus aſthma confundi poſſit, ſunt, dyſpnoea, hydrothorax, cynanche trachealis, et angina pectoris.

Aſthma, et quaedam dyſpnoeae ſpecies, praeſertim dyſpnoea ſicca et cattarhalis, tam mutuo ſe ſimulant, ut eos diſtinguere aliquando difficillimum eſt; ſed, in dyſpnoea, ſpirandi difficultas eſt magis perpetua et conſtans, cum implectionis et infarctus in pectore ſenſus, et tuſſis, per totum morbi decurſum, frequens eſt; ſed aeger aſthmaticus, intervallis inter paroxyſmis poſitis, prorſus ad ſolitam conditionem rediit, et aeque ac antea valet.

Quibus indiciis aſthma ab hydrothorace diſtinguatur, haud difficile eſt recenſere: In hydrothorace, reſpiratio fere ſemper laborat; ſpiritus non editur ſtrepens; pallore leucophlegmatico vultus ſqualet; pedes ſaepe intumeſcunt; urina ſemper parca, et aeger obdormiens ſaepe

ſubito

ſubito anxius territuſque expergiſcitur, quae ſigna aſthmate abeſſe ſolent.

A cynanche tracheali dignoſcitur aſthma, quod illa impuberes et infantes ſemper fere adoritur; laryngem et tracheam praecipue infeſtat, pauciſque diebus relinquit aut opprimit, et acceſſiones et remiſſiones ſunt minus notabiles; ſed praecipue quod cynanche trachealis voce ſingulari et tuſſi clangoſa comitatur. Aſthma vero, aut aetate provectiores, aut plerumque adultos, corripit, nunquam epidemice graſſatur; et, ſi quando ſemel aggreſſus ſit, raro, ſi unquam, fit quin per totum vitae ſaepe longae decurſum, etiamſi intervallis dubiis atque incertis revertens, infeſtat.

Quid de angina pectoris, a Doctore Heberden et Fothergill deſcripta, dicendum ſit, parum conſtat. Angina pectoris motu excitatur, quiete levatur, brachium ſiniſtrum acuto dolore afficit, et in repentina morte tandem definit; eorum alia

interdum abſunt, alia ei cum aſthmate communia inveniuntur, ita ut diagnoſis inter eos ſit difficillima; ſed omnia hunc morbum ſpectantia obſcura et incerta adhuc reſtant; quamobrem melius erat expectare, donec dies clarior dubia diſſipabit, quam conjecturas nugatorias proferre. Aſthma aliquando ſymptomatica hyſteriae, arthritidis, ſive alius morbi, non latebit medicum peritum qui aegri habitum mores ac morbos attente examinabit.

CAUSÆ MORBI

In duas ſpecies dividendae ſunt; nimirum, quae homines proclives reddunt, et quae in jam proclivibus morbum excitant.

Proclivitas ad hunc morbum plerumque a congenito quodam vitio, vel labe haereditaria quae a parentibus ad liberos deſcendit, originem trahit,

trahit, quamvis hoc vitium ſenſibus latet. Interdum etiam a quibus viribus nocivis corpori diu admotis, ſed quomodo congenitum iſtud vitium polleat, et quomodo a parente ad prolem tranſmittitur, expedire minime aggrediemur; ſed morbum a parentibus derivari, obſervatio et quotidiana experientia ſatis ſuperque demonſtrant.

Teſtante Hoffmanno, temperamento ſanguineo praediti ſaepius quam alii hoc morbo tentantur; nimia etiam vaſorum plenitudo videtur ad hunc morbum proclivem facere, quae, ob arctum inter vaſa ſanguinem vehentia, et genus nervoſum nexum, mobilitas nimia, et proclivitas ad ſpaſmos et alios ejuſdem generis morbos oriuntur.

Cauſae, quae in proclives hunc morbum concitant, ſunt plures et variae, quarum praecipuae, et frequentiſſimae breviter enumerare conabor.

Nullae cauſae ſaepius hunc morbum conci-

tant

interdum abſunt, alia ei cum aſthmate communia inveniuntur, ita ut diagnoſis inter eos ſit difficillima; ſed omnia hunc morbum ſpectantia obſcura et incerta adhuc reſtant; quamobrem melius erat expectare, donec dies clarior dubia diſſipabit, quam conjecturas nugatorias proferre. Aſthma aliquando ſymptomatica hyſteriae, arthritidis, ſive alius morbi, non latebit medicum peritum qui aegri habitum mores ac morbos attente examinabit.

CAUSÆ MORBI

In duas ſpecies dividendae ſunt; nimirum, quae homines proclives reddunt, et quae in jam proclivibus morbum excitant.

Proclivitas ad hunc morbum plerumque a congenito quodam vitio, vel labe haereditaria quae a parentibus ad liberos deſcendit, originem trahit,

trahit, quamvis hoc vitium ſenſibus latet. Interdum etiam a quibus viribus nocivis corpori diu admotis, ſed quomodo congenitum iſtud vitium polleat, et quomodo a parente ad prolem tranſmittitur, expedire minime aggrediemur; ſed morbum a parentibus derivari, obſervatio et quotidiana experientia ſatis ſuperque demonſtrant.

Teſtante Hoffmanno, temperamento ſanguineo praediti ſaepius quam alii hoc morbo tentantur; nimia etiam vaſorum plenitudo videtur ad hunc morbum proclivem facere, quae, ob arctum inter vaſa ſanguinem vehentia, et genus nervoſum nexum, mobilitas nimia, et proclivitas ad ſpaſmos et alios ejuſdem generis morbos oriuntur.

Cauſae, quae in proclives hunc morbum concitant, ſunt plures et variae, quarum praecipuae, et frequentiſſimae breviter enumerare conabor.

Nullae cauſae ſaepius hunc morbum conci-

tant

tant quam aëris viciſſitudines ſubitaneae ac improviſae. Paludum accola montium aëra conqueritur; e contrario, qui locis montoſis degere ſoliti ſunt, aëra paludum ingreſſi aſthmatis paroxyſmo corripiuntur.

Sunt qui rure, ſunt qui oppidis, optime valent. Profeſſor noſter, Doctor Gregory, hominem narrat qui ſemper paroxyſmo corripiebatur, ſi per unam noctem ſolum in Londino degeret. Aliis aeſtas, aliis hyems, eſt maxime moleſta; ſed hic quidem, ut ſemper alibi, vis conſuetudinis plurimum valet; ſed aer humidus ac nebuloſus, praeſertim ſi tempeſtas ſit procelloſa, per totum anni decurſum pleriſque aſthmaticis nocere ſolet.

Vere et autumno aſthma frequentior eſt, ob ſubitas et frequentes aëris iis temporibus mutationes. Aſthma, ut et alios morbos innumeros, lunae ſoliſque motibus obtemperare placuit Mead,

et

et aliis, qui matheſeos peritiſſimi, omnia ejus legibus ſubjicere conabantur.

Praeter aëris mutationes, quantum frigus, calorem, humorem, et ſiccitatem attinet, aliae plurimae cauſae extant, quae ſingulae morbum ciere valent. Hujuſmodi ſunt pulveres variae, fumus undequaque ortus, vapor mephiticus, odores, et aliae plurimae. Vir a Culleno memoratur, cui exigua nitri portio ſcienti, vel inſcio, ore vel ano adminiſtrata, paroxyſmum incitaret; ſunt etiam quos exigua jalappae quantitas, vel ipecacuanhae per auras diffuſa, eodem modo afficiunt. Omnia etiam quae reſpirationem impediunt aſthma nonunquam cient.

Nimia ventriculi diſtentio locum praecipuum hic ſibi vindicat, et magna ex parte paroxyſmum praecedit. Nimium cibi potuſve, vel cibus coctu difficilis, vel etiam cibi juſta quantitate ſumpti, concoctio prava vitio eſt; ſed quomodocunque

fit

fit ventriculi distentio, descensum diaphragmatis impediendo respirationem turbat, et saepe paroxysmum infert.

Exercitatio violens similem edit effectum; hinc plurimi, longo cursu, magna luctatione, vel diuturno clamatione, fatigati, repentino paroxysmo saepe corripiuntur.

Venus nimia, studium altum, nimia sanguinis detractio, in iis quorum pulmones facile irritantur, corpore debilitando, et viam pravae concoctioni sternendo, hujusce morbi saepe causae sunt.

Pathemata varia excitantia, pariter atque sedantia, ob eximium consensum inter corpus mentemque, asthma interdum excitant. Mens enim saepe causa et origo multorum malorum. Ira, pathematum excitantium princeps, paroxysmum multoties intulit, dum moeror ac moestitia eosdem effectus aliquando praestant, qui

hypochondriasi

hypochondriaſi ac melancholia ſunt affecti, iidem aſthmate ſaepe laborant.

Denique, exanthemata ſuppreſſa, ulcera vetuſta citius ſanata, et quaecunque pectus comprimunt, veluti foeminarum veſtae arctius nexae, aliquando etiam veſicatoria ſterno applicata, poſtremo morbi antecedentes, quales hyſteria et podagra atonica, omnia hunc morbum excitant.

CAUSA PROXIMA.

De hujus morbi cauſa proxima variae prolatae ſunt opiniones; ſed hujus rei nodus non adhuc omnino ſolvi videtur; ne tamen ſilentio hanc rem praetereamus, operae pretium erit, quaſdam clariſſimorum medicorum ſententias citare.

Nonnulli a nimia ſputi copia, bronchias infarciente,

farciente, aſthma deduxerunt: ſed haec opinio, obſervationi contraria, nullis experimentis nititur; nam pituita, ſub finem paroxyſmi ſolum rejecta, effectus non cauſa paroxyſmi habenda eſt; incipiente paroxyſmo, eam adeſſe nullum ſignum indicat, et talis cauſa dyſpnoeam potius quam aſthma excitare apta videtur.

Alii, ab nimia ſanguinis copia in pulmone accumulata, ob hujus debilitatem, morbum deducunt; et hac debilitate tanquam cauſa proxima poſita, plura morbi ſigna, qualis ſuffocationis ſenſus, aëris ingreſſus difficilis, ſanguinis curſus quaſi impeditus, &c. exponere conantur; ſed, in multis exemplis, ubi ſumma debilitas occurrit, ut in typho diuturno, et haemoptyſi, qua vires pulmonum maxime franguntur, aſthma non ſupervenit.

Quibuſdam, ut celeberrimo Culleno, ſpaſmum bronchiorum aſthmatis cauſam proximam eſſe placuit;

placuit; ſed bronchiorum ſpaſmus ad omnia morbi ſigna explicandum minime valere videtur. Ab experimentis factis, dubitandum eſt, fibras bronchiorum vim poſſidere quantum ſufficiat ut omnia ſigna producent; glottis enim conſtringi videtur, et, morbo inveteraſcente, ſaepe etiam muſculi reſpirationis majores voluntatis imperio obedire recuſant, et, ſimul cum diaphragmate, actione ſpaſmodica affici videntur. Cum haec ita ſe habeant, cauſam proximam in medio relinquere, aliiſque felicioribus altius perſcrutandum, ſatius eſſe duximus.

PROGNOSIS.

Quamvis, a ſignorum gravitate durante, paroxyſmo aeger in ipſo mortis articulo ſaepe verſari videtur; tamen prognoſis, quantum quemlibet paroxyſmum ſpectat, plerumque fauſta eſt; mors enim raro accidit, et paroxyſmi ſaepe per

longam annorum ſeriem intervallis revertunt, donec aeger, jam ſenectute confectus, acceſſionum vi, aut aliis morbis ſupervenientibus, illis ſuccumbit.

Quamvis de eventu cujuſlibet paroxyſmi fere ſemper bonum praeſagiendum ſit; de morbi tamen progredientis felici exitu minime ſperandum; licet enim juvenem labe haereditaria, aut congenita, vacuum adoriatur, nova acceſſio eſt timenda; et, cum in proclives ſemel impetum fecerit, citius aut ſerius malum rediturum experientia docet; et, ſi medicina morbum levare poſſit, tamen funditus tollere, bene notum eſt adhuc parum valere.

RATIO SYMPTOMATUM.

Cum haec a cauſa proxima, quam adhuc fatemur caligine immerſa pendeat, ſolum in animo

mo eſt leviter perſtringere quaedam ſigna, quae maximi videntur momenti, quamvis erudito lectori lubens relinquerem, niſi mos, cui ſemper parendum eſt, vetaret.

Ventriculi inflatio.—Haec videtur effectus cauſae proximae, quae adhuc nobis latet, potius quam cauſam orbi; fere ſemper paroxyſmum antecedit, et, licet cauſa an effectus morbi ſit, reſpiratio difficilis cito proſequitur, et ventriculi affectio ad paroxyſmum excitandum, et pejus faciendum, multum valere videtur. Hoc nonnulli magno conſenſu ventriculum inter et reliquum corpus tribuunt; ſed plurimum ſtomachi diſtentioni, mechanice deſcenſum diaphragmatis impedientis, aſcribendum, cum nihil aliud fere magis liberam ejus actionem impedit, cum etiam optima valetudine fruentes; ventriculo pleno minus libere ſpirant; hinc inflatio et diſtentio ventriculi quae ſaepe in proclivibus acceſſioni aſthmaticae excitandae par eſſe videtur.

Conſtrictio

Conſtrictio pectoris.—Si conceſſum ſit non ſolum diaphragma, ſed aliquando etiam muſculos majores reſpirationis alios, actione ſpaſmodica affici, haud difficile erit concipere ſenſum conſtrictionis produceri a libera dilatatione thoraeis impedita; ſed, quomodocunque explicandum ſit, ſignum tam conſtans morbi eſt, ut ſaepe plurimum conducit ut ab aliis dyſpnoeae ſpeciebus aſthma dignoſcatur.

Anxietas, palpitatio, et livor faciei, a fere omnibus ſcriptoribus difficili ſanguinis tranſitui per pulmones tribuitur, quod impediendo liberam dextri cordis ventriculi evacuationem regurgitationem in cavis efficit; hinc anxietas et faciei ſuffuſio. Sed ab experimentis a Doctore Goodwin factis, ſi nobis fas ſit ab analogia caeterorum animalium judicare, ſanguis aeque valet per pulmones diſtentos aut collapſos tranſire; cum ita res ſeſe habet, pendere magis veriſimile mihi videtur ab aëre, qui tam neceſſaria videtur ad

mutandum

mutandum nigrum ſanguinis colorem pro floridо, et ad impertiendum vires ſtimulatrices ſanguini, nimia parca quantitate in pulmones inſpirata; hinc anxietas et palpitatio; hinc cor miſere languet, et ſanguis nigreſcens colorem luridum faciei impertit.

Reſpiratio lenta et guttur arctum conſtrictioni laryngis imputanda ſunt; eandam cauſam ſibilem ſtrepentem agnoſci, cuilibet, qui ſonorum theoriam intelligit, affatim conſtat.

Tuſſis ſub initio paroxyſmi difficilis vel nulla, verſus finem libera, cum ſputo muci ſaepe copioſo. Initio paroxyſmi parum muci forſan adeſt, ideoque nil tunc expectandum; et, poſtea cum aliquod muci in bronchiis adeſt, homo tuſſire nequit; vel ſi quando tuſſit, ſuſpicari licet mucum tunc in profundis partibus latere, ſicque vim tuſſiendi eludere; at, finem verſus paroxyſmi, larynx antea contracta et ſicca humeſcit,

et

et humorem libere profundit, quo irritata, tuſſim frequentem validam, bronchiis evacuandis aptam, excitat. Ita demum id ſputi, quod pro effectu non cauſa paroxyſmi jure habendum eſt, rejicitur.

Quantum ad intervalla revertens ſpectandum ſit, mihi videtur multum pendere a cauſis excitantibus magis minuſve frequenter adhibitis; quamvis hic etiam, ut ſemper alibi, vim conſuetudinis haud parum valere nemo negabit.

RATIO MEDENDI.

Cum hunc morbum opprobrium medicinae adhuc reſtare fatendum eſt, et penitus tollere, experientia ſatis ſuperque demonſtravit, medicinam adhuc parum valere; oportet itaque medicum ad morbum levandum ſolummodo ſe accingat,

accingat, quod his duobus ſequentibus conſiliis plerumque fieri poteſt:

I. Paroxyſmum quamprimum ſolvere.

II. Recurſui, quantum fieri poteſt, occurrere. Priori conſilio medicamenta varia in uſu ſunt; inter primis,

Evacuantia.—Quorum praecipuum eſt venaeſectio, quae, quamvis ad levandos alios hujus viſceris morbos tam ſaepe prodeſt, tamen ad paroxyſmum aſthmaticum levandum raro valet; et, cum corpore debilitando plethoram irritabilitatem, et etiam hydropem, producere ſaepe conducit, raro ad hunc remedium confugiendum eſt, niſi aegrotus ſit juvenis, plenus, atque robuſtus, et faciei ſuffuſio apoplexiam minatur, cum vena jugulari ſecta ſigna promptiſſime levantur; ſed hoc, quo ſaepius adhibeatur, eo minus votis noſtris reſpondebit, et ſpes noſtras demum fallet.

Emetica,

Emetica, ventriculo impuro indicante, acceſſioni aliquando occurrebunt, vomitio itaque cienda eſt; ſed in his pariter modus obſervandus eſt; nam vomitio frequens ventriculum infirmat, et hoc modo morbi recurſui favebit. Ad hunc finem, medicamenta varia in uſu ſunt; ſed, cum ad exonerandum ventriculum ſolum ſpectemus, *ipecachuana*, niſi idioſyncraſis vetat, aut infuſio chamomeli, ut tutiſſima et mitiſſima plerumque anteponenda ſunt.

Expectorantia varia, uti ſcilla, ſolutio gummi ammoniaci, &c. ad ſputum promovendum, a multis medicis in uſu ſunt; ſed raro levant, et minime poteſtatem ſpecificam in expectoratione cienda habere videntur; ſed praecipue valere videntur quando nauſeam excitant.

Cathartica, utpote vires exhauriunt, fere ſemper nocent. Clarus Hoffman, de hac re diſſerens, ait (purgantia acriora, necnon emetica draſtica,

draſtica; cane pejus et angue, in hoc affectu, fugienda ſunt; quippe quae genus nervoſum magis ad ſpaſmos diſponunt); ſed, cum alvus adſtricta, ſemper nocet, et morbum adauget; rheum, aloes, enemata emollientia, et omnia quae leniter alvi ſolutionem promovent, pro re nata repetita, ſaepe multum proſunt, et ad ventriculum ſanum praeſtandum multum conducunt.

Veſicatoria, corpus ſtimulando, magis quam plenitudinem minuendo, cum paroxyſmi ſunt praeter ſolitum contumaces, non ſine quodam levamine applicari poſſunt; ſed iis non ſemper fidendum eſt; et, cum tardius operentur, ſaepe priuſquam agere incipiunt paroxyſmus ſolvitur, cum ſine beneficio dolorem et moleſtiam aegro faceſſant.

Antiſpaſmodica ſaepe plurimum, in hoc morbo, auxilii ferunt; ſed, cum potenter ſtimulant in

junioribus, si nimia plenitudo adsit, caute adhibenda sunt. Hujusmodi praecipua sunt opium, camphor, moschus, assafoetida, castoreum, aether, &c. quorum omnia saepe aliquantum valent; medici autem opio et aetheri vitriolico maximam fiduciam habent. Æther, ob celeritatem qua spasmos solvit, flatumque dispergit, plerisque asthmaticis maxime gratus est; drachma una vel altera, aqua diluta, pro dose proferri debet, et pro re nata repetenda est.

Opii vires omnibus bene notae sunt; et, cum effectus non adèo sunt fugaces, aetheri forsitan antecellit, si forma tincturae thebaicae, vel tincturae opii ammoniatae, paucas horas ante accessionem ingestum sit, saepe ejus recursui obvenire videtur, vel signa plurimum levat; sed opium aethere vitriolico conjunctum dicitur plurimum auxilii ferre, cum singulae parum aut nihil valuere.

CON-

CONSILIUM SECUNDUM.

Quoniam hic morbus ex congenita quadam proclivitate plerumque pendet, ad quam tollendam medicina parum valet, anhelus quam ſedule cauſas excitantes evitare debet. Si nulla diatheſis phlogiſtica adſit, et aeger ſit debilis, roborantibus uti debet, quorum praecipuus eſt cortex Peruvianus, quae diu et magna quantitate ingerendus eſt; ſed in hoc morbo minime mirandum eſt, ſi votis non ſemper reſpondeat.

Balneum frigidum etiam, cum laxitatem, debilitatem, et mobilitatem corrigit, bonum remedium videtur; ſed, cum omnibus non conveniat, prudentia opus eſt ut recte praeſcribatur. Sed prae omnibus eminet, et ſemper cum caeteris neceſſaria eſt, exercitatio ſub dio. Nil praeſtantius eſt equitatione, quae nonnullis tam multum

profuit,

profuit, ut miſer, qui initio vix ſellae haerere potuit, cito ſanus, vegetus, et hilaris, ſaepe evadit, ſi equitatio non conveniat, curriculo aut navi devehi poteſt; nam, exercitatio ſtricte obſervata, multum praeſtat medicamentis, corpus roborat, ventriculum ſanum praeſtat, et nimiam mobilitatem corrigit.

Exercitatio mentis aeque ac corporis obſervanda eſt; hinc peregrinationis commodum; nam, dum corpus leniſſime agitatur, mens novitate rerum, quae undique oculis occurrunt, gratiſſime delectatur. Sed ira, moeror, moeſtitia, et omnia quae animum turbant, caute evitanda ſunt.

Diaeta idonea praeterea obſervanda eſt; ſi morbus recens ſit, ac aeger juvenis atque robuſtus, diaeta parca uti debet; ſed, morbo inveteraſcente, ſi debilis evadit, diaeta lautior magis idonea videtur. Debet ex carnibus maxi-

ma ex parte conſtare; nam concoctu faciliores ſunt, minuſque ventriculum inflant, quam cibus ex frugibus; ſed ſemper meminiſſe debet, diaetam lautam atque opiparam omnibus aſthmaticis nocere.

Ebrietas ſemper nocet; cyathos autem modicos vini generoſi hauriri licet atque decet.

Cereviſia omnigena et liquores ſpirituoſi vitanda ſunt; liquores etiam tepidi, velut thea et coffea, quae ſolida laxant, et praecipue ventriculum infirmant, raro permittenda ſunt.

Denique, aeger veſtimentis calidis uti debet, et totum corpus, et praeſertim pedes, ab humore ſervare oportet, ut cutis halitus conſtanter et aequaliter eliciatur; quae omnia obſervata plurimum efficient ad morbum praecavendum, et ad aegrum incolumem ſervandum.

FINIS.